



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt III. a Idem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

*minia, ff. de his qui not. infam.* Illustrat Petrus Faber *lib. 1. semestr. cap. 17.* Langleus *lib. 13. semestr. cap. 1. & 2.* immò jure civili attento hæc regula valde vigeat in matrimonii dissolvendis; nam sicut in matrimonio flaminis contrahendo confarreatio intercedat, Ulpianus *tit. 9.* Plinius *lib. 18. hist. cap. 3.* Tacitus *lib. 4. annal. sic in eo dissolvendo diffarreatio desiderabatur.* Festus verbo *Diffarreatio*; & sicut in contrahendis nuptiis claves tradere moris erat, ita etiam in dissolvendis earumdem solennis fuit ademptio. Tul. *phil. 3. D. Ambrosius epist. 75.* & sicut in contrahendo matrimonio certæ verborum formulæ usurpari consueverant, *Vbi tu Cajus, & ego Cajo,* Tul. *in oratione pro Murena, Quintilianus lib. 1. cap. 7. & lib. 5. cap. 10.* sic in dirimendo certæ fuerunt et-

iam verborum conceptiones usitatae. *l. 2. ff. de divor. tit. 1. probavi in cap. 1. eod. tit.* & ut nuptiæ testato fiebant, hoc est presentibus testibus, *l. uxor, C. de repud. Juvenal. satyr. 10.*

*Venit cum signatoribus auspex.*

Apulejus *lib. 6. de asino*; ita repudium ratum esse non poterat, nisi septem testibus adhibitis, *leg. nullum, ff. de divor.* Et tandem sicut mulier cum nubebat, deducebatur in domum viri, *l. mulierem 5. ff. de ritu nupt. l. penult. ff. de donat. inter;* ita in casu divortii mulier de domo expellebatur. Quintilianus *declamat. 2. 6.* Illustrat Forneri *lib. 1. rer. quod. cap. 9.* prosequuntur alia exempla Petrus Faber, Gothof. Bronchorst, & Cujac, *in d. l. nihil tam naturale 35. ff. de R. I. Gibal. in presenti.*

## CAPUT II.

## a Beda in homilias

**E**Stote misericordes, &c. Hoc loco nobis nihil aliud præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim est scriptum: Ex fructibus eorum cognoscetis eos; de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietas, & similia, de quibus nobis permittitur judicare.

## NOTÆ.

- I. a **Beda.** ] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* & hæc verba reperiuntur inter opera ipsius Venerabilis Bedæ in Lu-

*eam lib. 2. cap. 24.* & Raymondus hanc regulam transcripsit ex dicta prima collectione, ubi *cap. 2.* extrat alia D. Augustini ad idem significandum his verbis: *Innuis, quod ambigua debemus in ambigam partem vertere.*

## CAPUT III.

## a Idem.

**Q**ui scandalizaverit, &c. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

## NOTÆ.

- I. a **Idem.** ] Sic etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* & verba hæc extant apud ipsum Bedam *ad caput 9. D. Marcæ*; & hanc eandem regulam antea expresserat, deduxeratque ex evangelico textu D. Matthæi, *cap. 15.* D. Gregorius *lib. 1. in Ezechielem, homil. 7.* ibi: *Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.* Idem Gregor. *lib. 9. regestr. epist. 39. ad Theodistam Patriciam*, a quo acceperunt D. Bernard. *in apolog. ad Guillelmum Abbatem*, §. *jam verò, in fine*, ibi: *Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est, ut scandalum oriatur, quam*

*veritas relinquatur.* Et in Epistola 34. ad Drogonem, & *tract. de precept. & dispens. cap. 12.* D. Thomas 2. 2. q. 43. *art. 7.* Consonant etiam textus in *cap. nisi 10. vers. Pro gravi, de renunc. cap. inter verba 55. vers. Si autem 11. q. 3. cap. si illa 23. r. q. 7. cap. 2. de novi oper. nunc.* & rectè ea jura de scandalo passivo, pro quo veritas nunquam deferenda est, acceperunt Covar. *in regul. peccatum, 1. p. num. 4.* Mancinus *genial. cent. 1. cap. 113.* Valquez in opusculo de scandalo, *ad q. 43. D. Thomæ, art. 2. 3. usque ad 8.* Facit Tertull. *de velandis virginibus, cap. 3.* ibi: *Bona res neminem scandalizant, nisi malam mentem; agnoscant malum suum, quæ de tali bono scandalizantur.* Plura de scandalo vitando, vel non, congeffit Salgado de *recent. Bullar. part. 1. cap. 4.* Gibal. *in presenti.*

## CAPUT IV.

## a Idem super Marcum.

**Q**uod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; nam & sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in sabbatho pugnabant. Sic & hodie, si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

## NOTÆ